

AD ARGUMENTA 9 ET 10.

Explanatio et comprobatio historica.

SECTIO PRIMA.

De cultu B. M. V. de Guadalupe in Mexicana Natione a tempore Apparitionis, necnon de his, quae ab Episcopis acta sunt in honorem ipsius Deiparae de Guadalupe, et in ejus Apparitionis comprobationem.

Notandum ante omnia ipsam consuetudinem antiquissimam concionandi de B. M. V. de Guadalupe continuum ejus cultum ostendere, necnon et continuum exercitium Pastorum auctoritatis in confirmationem Apparitionis, quoniam consensu Pastoribus, atque etiam ipsis audientibus, aut concionantibus, haec inducta est, et servatur consuetudo: atque etiam ex multitudine auctorum, qui de Apparitione libros ediderunt, praevia Ordinariorum licentia, ejusdem pastoralis auctoritatis in favorem Apparitionis probatur exercitium.

Antequam ad alia procedamus, optimum erit de antiquitate cultus B. M. V. de Guadalupe testimonium prae oculis ponere irrefragabile, utpote ab inimici ore vi veritatis extortum. Hoc est testimonium D. Joannis Baptistae Muñoz, Guadalupensi Apparitioni adversarii, ea ipsa in Dissertatione, in qua Apparitionem impugnat. Ait ergo num. 26: "Empezó sin duda (este culto) á pocos años de la conquista de México. Alude á él Bernal Diaz del Castillo, uno de los conquistadores, y si bien escribía bastantes años adelante; pero habla como de cosa recibida y corriente por algun tiempo. El segundo Arzobispo de México D. Fray Alonso de Montufar, que llegó á su Diócesis por Junio de mil quinientos cincuenta y cuatro, ya encontró muy difundida la devocion á la Virgen de Guadalupe, venerada en una hermitilla á donde acudía la piedad de los fieles con tales limosnas que

le sufragaron para costear una decente Iglesia y consignar anualmente seis dotes de á trescientos pesos para casar huérfanas. Dícelo su sucesor D. Pedro Moya de Contreras en papel que se conserva original entre los de aquel Santuario. En tiempo de este Arzobispo que fué consagrado en México el cinco de Diciembre de mil quinientos setenta y cuatro, crecieron notablemente la devocion y las limosnas, como aparece por la carta del Virey, cuyo capítulo copié arriba; de modo que hubo caudal para comprar rentas, poner en corriente los dotes de las huérfanas, que al parecer no lo habían estado, y mantener dos clérigos." (1)

His annotatis ad specialia procedamus.

Ut pius neophytus Joannes Didacus palliolum suum explicuit coram Mexicano Antistite, et rosis, et floribus decidentibus, Deiparae Coelestis Imago de Guadalupe mirabiliter in palliolo depicta visa fuit, statim et Antistes ipse, et qui ibi aderant, flexis genibus Deiparam in sacra illa Imagine venerati sunt: Antistes autem postquam Beatissimam Virginem piissime veneratus, et deprecatus est, palliolum, in quo depicta apparuit, de indi collo solvit, et in Episcopalis domus Oratorio collocavit. (2)

Ut fidelium devotioni fieret satis, felicissimus Antistes mirabilem Imaginem é Sacello episcopali in Templum majus Mexiceum deduxit, quo confluit tota civitas, mi-

(1) V. haec Dissertatio in initio operis cui titulus, *Apología de la Aparición de Nuestra Señora de Guadalupe de México*, auctore D. Josepho Michaele Guridi Alcoser.

(2) Certissima haec habentur apud autores: V. Narratio mexicano idiomate a Ludovico Lazo de la Vega typ. edita, necnon et Narrationes P. Matthaei de la Cruz, et Ludovici Becerra Tanco; et etiam alij auctores,

raculum admirans, et Sanctissimam Dei Genitricem in ejus coelesti Imagine humillime venerando. (1)

Piissimus Antistes de Templo aedificando statim providit: ivit ergo, vel misit cum Joanne Didaco, qui ab ipso edicerent, quo loco suum in honorem Sacram erigi Aedem Deipara voluit. (2)

Revera primum Templum in honorem B. M. V. de Guadalupe Rmus Fr. Joannes de Zumarraga aedificavit. (3)

Ipsae Antistes, simul cum universo Clero saeculari et regulari, tunc Mexici existente, et civilibus Magistratibus comitantibus, atque indis ex finitimis populis, et hispanis confluentibus, festivo gaudio, Sacram B. M. V. de Guadalupe Imaginem, solemniter processione, de Templo Maximo Mexiceo detulit ad Tepeyaquense Templum. (4)

Hujus solemnissimae processions memoriam in quadam pictura prae oculis habuit fidelium pietas, de qua

(1) Narratio Mexicano idiomate a Ludovico Lazo de la Vega typ. edita, et Narrationes Ludovici Becerra Tanco, et Matthaei de la Cruz, cap. 7.

(2) Narratio Mexicano idiomate a Lazo de la Vega typ. edita, et Narrationes P. Matthaei de la Cruz, cap. 5, et Ludovici Becerra Tanco.

(3) Ita Narratio P. Matthaei de la Cruz, cap. 7, et Narratio Mexicana typ. edita a Lazo de la Vega, et alii auctores.

(4) Florencia, *Estrella del Norte de México*, cap. 8. núm. 52.—Cabrera Quintero, *Escudo de Armas de México*, lib. 3, cap. 17. Mentio etiam habetur hujus processions in dictis testium, qui juridice interrogati fuere anno 1666, et qui cum illis vixerunt, qui suis oculis processionem viderunt, (V. Florencia, ubi infra.)—Et videatur Narratio Mexicana, typ. edita a Lazo de la Vega, ubi narrat primum miraculum B. M. V. de Guadalupe.

fidem facit Cabrera Quintero, (1) in qua, praeter alia, duo in processione videbantur Episcopi, scilicet, Rmus Zumarraga, qui in spiritualibus, et Rmus Sebastianus Ramirez de Fuen Leal, qui in temporalibus Mexici praeerat.

Eo ipso die, quo Sacra Imago de Guadalupe in Tepeyaquensi Templo fuit solemniter collocata, mexicanum hymnum illum dixit D. Franciscus Placidus, de quo antea dictum est, dum de scriptoribus.

Ipsae Rmus Zumarraga Tepeyaquense Templum benedixit; (2) atque etiam Pontificalibus vestibus indutus Missam inibi celebravit causa tantae solemnitatis. (3)

Ex tunc Templi Tepeyaquensis patronatus annexus fuit Dignitati Archiepiscopali Mexicanae. (4)

Deinde devota novem dierum supplicatio in Tepeyaquensi Templo secuta est, quae solemniter finita fuit. (5)

His omnibus, ita egregie, et publice gestis, primus Mexicanus Archiepiscopus Guadalupensem Apparitionem sua auctoritate firmavit.

Anno 1544, id est, decimo tertio anno post B. M. V. de Guadalupe Apparitionem decurrente, dira pestis indos afflixit: tunc religiosi Sancti Francisci, devota, et publica processione, quamplures pueros indos utrius-

(1) Escudo de Armas de México, lib. 3, cap. 17, núm. 701 et seq.

(2) Ita Narratio P. Matthaei de la Cruz, cap. 7.—Florencia, *Estrella del Norte de México*, cap. 8, núm. 52.

(3) Cabrera Quintero, *Escudo de Armas de México*, lib. 3, cap. 17, núm. 704, ubi de hac re affert testimonium P. Michaelis Sanchez, cujus verba transcribit ad litteram.

(4) Florencia, *Estrella del Norte de México*, cap. 8, núm. 52.—Narratio P. Matthaei de la Cruz, cap. 7.

(5) Narratio P. Matthaei de la Cruz, cap. 7.

que sexus, sex aut septem annos natos, a Tlaltelolco usque ad Tepeyaquense Templum deduxerunt, ut Deiparae misericordiam pro pestis cessatione coram Guadalupense Imagine impetrarent; cujus misericordia pestis cessavit. (1)

Mortuo Rmo Zumarraga anno 1548, successit illi Rmus Fr. Alphonsus de Montufar: Concilia provincialia ille celebravit; atque in primo Concilio decretum fuit (cap 34) quod ab Ecclesiis, et piis locis historiae, et imagines apocryphae tollerentur. Unde patet quod si Imago B. M. V. de Guadalupe apocrypha fuisset, praedictus Antistes e templo, atque de conspectu fidelium tolli jussisset; at vero non modo illam non abstulit, neque adversus ipsius cultum aliquid egit, verum e contra cultum ipsius Sacrae Imaginis adauxit, Tepeyaquense Templum perficiens, uti referunt Emmus Lorenzana, (2) et alii auctores. (3)

Ipsa Rmus D. Montufar mille nummos argenteos (pesos) ad censum imposuit, in favorem Templi Tepeyaquensis, instrumento publico de hac re effecto, juxta Guridi Alcoser: (4)

Anno 1556.—Per illud tempus ipse secundus Mexicanus Antistes de B. M. V. de Guadalupe concionabatur,

(1) Narratio Mexicana idiomate a Lazo de la Vega edita, ubi de miraculis.—Narratio P. Matthaei de la Cruz, ubi de miraculis.—Florencia, *Estrella del Norte de México*, cap. 19, núm. 228.

(2) Série de los Illmos. Señores Arzobispos de México, El Illmo. Sr. D. Fr. Alonso de Montufar

(3) Tornel "*La Aparicion de Ntra. Sra. de Guadalupe*, tom 1, cap. 14, núm. 238.—Uribe, Disertacion histórico-crítica en que se comprueba la milagrosa Aparicion etc, § 8.

(4) Apología de la Aparicion etc., cap. 15, tractans de instrumentis.

atque maximam erga illam, et Mexici urbis, et indorum devotionem narrabat, propter quam etiam peccata cessaverant, quae festis diebus committebantur. (1)

Anno 1555 vel 1556.—Per illud tempus, juxta Pro Regem Martinum Henriquez, (2) cum quidam infirmus sanitatem recuperasset, B. M. V. deprecando in Tepeyaquensi Templo coram ejus Imagine de Guadalupe, fidelium erga illam devotio aucta fuit.

Anno 1558.—Cum indi Teotihuacan fugissent, eo quod infensos sibi reddiderant et Pro-Regem, et Regium Mexici Auditorium, clam Tepayacatl adibant, atque B. M. V. de Guadalupe deprecabantur, cujus patrocinio factum est ut ipsis veniam illi haberent. (3)

Narratio Mexicana Apparitionis, ubi de miraculis, asserit indos a tempore Apparitionis B. M. V. de Guadalupe, ad ipsam confugisse in necessitatibus. Insuper Mexicana Narratio non refert nisi miracula antiquissima, eaque propter cultum B. M. V. de Guadalupe antiquissimum, et continuum ostendit.

Constat pia et antiquissima legata extitisse, quibus B. M. V. de Guadalupe, et Tepeyaquensis Templi cultus fovebatur; quaeque, utpote juridice admissa, Ecclesiasticam Auctoritatem cultum ipsum approbantem ostendunt.

Tria testamenta de hac re apud se habuit D. Laurentius Boturini, (4) scilicet: 1.º Testamentum originale, mexicane, et in indorum papiro scriptum, cujusdam foeminae, Joanni Didaco propinquitae conjunctae, in quo

(1) *Santa María de Guadalupe, Patrona de los mexicanos*, num. 480.

(2) Rescribens Regi hispano; de quo infra.

(3) Narratio Mexicana Apparitionis, ubi de Miraculis.—Boturini, Catálogo del Museo Indiano, § 34, núm. 3.

(4) Catálogo del Museo Indiano, § 36, núm. 4, 2, et 3, et § 34, núm. 3.

et B. M. V. de Guadalupe Apparitionis expressa mentio fit, et ad ejus cultum promovendum quaedam praedia rustica legabantur. 2.º Transumptum hispanum, ex mexicano textu deductum, testamenti D. Francisci Verdugo Quetzamalitzin, qui legatum pium reliquit ut in Tepeyaquensi Templo quaedam Missae celebrarentur in honorem B. M. V. de Guadalupe, et pro testatoris animae aeterna requie. (1) 3.º Transcriptum authenticum testamenti D. Stephani Tomelin, patris ejusdem monialis, qui pecuniam quamdam legavit B. M. V. de Guadalupe.

Quae antiquitas horum instrumentorum? Testamentum primum, juxta Tornel, (2) illud ipsum esse videtur quod Emmus Lorenzana in Annotationibus ad Epistolas Ferdinandi Cortes a se visum asserit, a Joanna Martina, Joanni Didaco propinquitate conjuncta, factum coram tabellione Morales: hic autem Morales eo fungebat officio anno 1559; (3) unde apparet quantum hoc testamentum fuerit Guadalupensi Apparitioni proximum.

Testamentum Francisci Verdugo Quetzamalitzin, factum fuit anno 1563: (4) id est, decurrente ab Apparitione anno trigesimo secundo.

Testamentum Stephani Tomelin factum fuit anno circiter 1575, uti asserit Boturini. (5)

Is instrumentis, et cultus antiquissimus, et successivus Templi Guadalupensis demonstratur, et hujusmo-

(1) V. etiam Narratio Mexicana Apparitionis, ubi de Miraculis. De honoranda B. M. V. de Guadalupe, et de oratione pro anima testatoris constat in textu mexicano: an Missae dicendae essent de B. M. V. an pro defuncto, non constat. Videtur testatorem hoc legatum reliquisse quia devinctus permanerat grati animi sensu propter beneficium acceptum anno 1558.

(2) La Aparicion de Nuestra Señora de Guadalupe de México, tom. I, cap. 7, núm 111. et seq.

(3) Tornel, ib.

(4) Narratio Mexicana Apparitionis, ubi de Miraculis.

(5) Catálogo del Museo Ind., § 36, n. 3.

di cultus ab Ordinario Ecclesiastico approbatio. Quod idem dicendum est de ceteris omnibus hujus generis instrumentis. Et praeterea expresse asseritur Apparitio, in testamento Joannae Martinae.

Praeter haec instrumenta, alia apud se habuisse asserit Boturini, (1) pertinentia ad piam foundationem in Templo Tepeyaquensi, in favorem pauperum, quae cultum B. M. V. de Guadalupe probant a temporibus Apparitionibus proximis, et multo posterius. En ejus verba: "Prueban el culto desde los tiempos inmediatos á las Apariciones y mucho despues."

Uribe (2) et Guridi Alcoser (3) testamentum citant Gregoriae Mariae, factum anno 1559, coram tabellione Hieronimo Morales, mexicano idiomate, de quo, juxta Alcoser, (4) simul cum hispana ipsius versione, exemplaria transcripta circumferebantur, in quo, et praedium rusticum legatur, et Guadalupensis Apparitio affirmatur.

Multi, inquit Guridi, (5) hoc testamentum illud esse contendunt, quod Joannae Martinae attribuit Emmus Lorenzana, eo quod conveniunt in loco ubi peracta fuere, et in nomine tabellionis, coram quo facta fuerunt, et quod in utroque legatum relinquitur B. M. V. de Guadalupe: At vero, uti ratiocinatur praedictus Alcoser, nullatenus credendum Emmum Lorenzana ita turpiter crasse in nomine ut loco *Gregoriae Mariae* testamentum adjudicaverit *Joannae Martinae*, maxime dum asserit se vidisse testamentum *Joannae Martinae*: et praeterea de *Joanna Martina* dicitur quod Joanni Didaco propinqui-

(1) Catálogo del Museo Indiano, § 36, núm. 9.

(2) Sermon tercero de N. Señora de Guadalupe. In editione anni 1821 errore typographi legitur Gregoria Morales.

(3) Apología de la Aparicion etc. cap. 15, tractans de instrumentis.

(4) Ib.

(5) Ib.

tate fuerit conjuncta, et quod plus quam unum praedium rusticum legavit; tria juxta Boturini; (1) atque dum in ejus testamento mentio fit Apparitionis B. M. V., dies Sabbati exprimitur. At vero in testamento Gregoriae Mariae nihil apparet de illa propinquitate, et quantum ad legatum, non videtur quod fuerit nisi tantummodo unius praedii, et licet Deiparae Apparitio affirmetur, dies tacetur. Propter quod duplex comperitur esse instrumentum.

Bernardus D'az del Castillo, qui dum Mexicum ab hispanis debellaretur miles egit, in ea, quam Quauhtemallan degens, scripsit historia, et finivit anno 1568, licet ille, ut notant auctores, nihil pronus esset ad miracula credenda, ita de templo, et de Imagine Guadalupensi: "Miren los curiosos lectores la Santa y Casa de N. Señora de Guadalupe que está en lo de Tepeaquilla. (2). . . y miren los santos milagros que ha hecho y hace cada dia." (3) Qui autem miracula non pauca fatetur plures utique, et ferventissimas, sine quibus illa non obtinerentur, fatetur orationes, quibus in sua coelesti Imagine de Guadalupe, illis antiquissimis temporibus, Deipara in Tepeyaquensi Templo honorabatur.

Anno 1575, cum hispanus Rex Pro-Regem Mexicanum inter alia interrogaret num monasterium ad Tepeyacatl aedificare expediret, hoc Pro Rex non duxit opportunum propter multitudinem monasteriorum, et propter loci incommoda; atque hac occasione notitiam affert praedictus Pro Rex cujusdam Confraternitatis in Guadalupensi Templo erectae, in qua quatuor centum circiter Chris-

(1) Idea de una nueva Historia general de la América Septentrional, § 27, num. 4.

(2) Utpote Mexicani Sermonis non peritus, barbare scripsit *Tepeaquilla* pro *Tepeyacac*.

(3) V. Ojuendo, Diser. hist. sobre la Aparicion etc., tom. 2, cap. 7. § 4, núm. 510.

ti fileles inscripti numerabantur. (1) Quo tempore haec Confraternitas antiquissima fuerit erecta non exprimitur. Etiam P. Florencia meminit (2) antiquissimae Confraternitatis, ex qua, et cultus continuus B. M. V. de Guadalupe, et ipsius cultus ab Ordinariis ecclesiasticis approbatio plane constat: Atque P. Florencia (3) asserit illam antiquissimam Confraternitatem, non modo Ordinarii auctoritate fuisse fundatam, verum etiam Litteris Apostolicis fuisse confirmatam, et indulgentiis ditatam.

Anno 1576 devotissima poenitentium processio adivit Tepeyaquense Templum, pro V. M. V. de Guadalupe misericordia impetranda, ut dira pestis cessaret, quae tunc grassabatur. Hujus processionis memoria in quadam pictura asservata fuit in Tepeyaquensi Templo; de qua, ut adhuc extante, Alcoser et Cabrera. (4)

Ab anno 1576, quo haec poenitentium devotissima processio Tepeyacatl adivit, Deiparae Imaginem de Guadalupe veneratura pro pestis tunc grassantis cessatione, specialis fuit cura Capituli Metropolitanani pro Guadalupensi Templo honorando, juxta Cabrera Quintero; (5) quod praedictus Cabrera (6) ex inde evenisse existimat, quod tunc temporis pene omnes canonici familiares extiterant Rmi Zumarraga, coram quo apparuit mirabilis Imago B. M. V. de Guadalupe.

(1) Carta del Virey D. Martin Enriquez. Textum ejus affert D. Joannes Baptista Muñoz, qui Apparitionem hostili animo impetit; cujus dissertatio videri potest apud Guridi Alcoser, (Apologia de la Aparicion, saepe cit, in principio.)

(2) *Estrella del Norte de México*, cap. 35, núm. 364.

(3) *Ib.*

(4) Guridi Alcoser, Apologia etc, cap. 15, tractans de instrumentis,—Cabrera Quintero, Escudo de Armas de México, lib. 3, cap. 17, núm. 702.

(5) Escudo de Armas de México, lib. 3, cap. 17, núm. 706.

(6) *Ib.* num. 707.